



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De ordiue dirigendi, quid prius quid posterius. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



hominem dilectio illo cōtinetur mandato: quem  
& secundum hominem, magis quam nos, sed non  
quantum Deum, debemus diligere: quia in quan-  
tum est homo, minor est Deo.

*Quibus modis dicitur proximus.*

Hic notandum est proximum dici diuersis mo-  
dis, scilicet, conditione primæ natiuitatis, spe con-  
uersationis, propinquitate cognationis, & ratione  
beneficii exhibitionis.

DE ORDINE DILIGENDI, QUID PRIUS,  
quid posterius.

DISTINCT. XXIX.

*De charita-  
te quantum  
ad diligendi  
ordinem.  
Can. 2. a in  
l. de doct.  
Christ. cap.  
27. in prin-  
cip.*

**P**ost prædicta de ordine charitatis agendum est,  
quia dicit sponsa, Introduxit me Rex in cellam  
vinariam, & ordinauit in me charitatem. Videamus  
ergo ordinem, quid prius, quid posterius esse  
debeat: peccat enim, qui præposterè agit. Nam scire  
quid facias, & nescire ordinem faciendi, non  
est perfectæ cognitionis. Ordinis namq; ignoran-  
tia conturbat meritum formam. Ordinem au-  
tem diligendi Aug. insinuat dicens, ipse est, qui or-  
dina: am habet dilectionem: ne aut diligit, quod  
non est diligendum aut non diligit, quod diligen-  
dum est: aut æque diligit, quod minus vel amplius  
diligendum est, aut minus vel amplius, quod æque  
diligendum est. Omnis peccator, in quantum pec-  
cator est, non est diligendus: & omnis homo, in-  
quantum est homo, diligendus est propter Deum,  
Deus vero propter seipsum: & Deus propter se om-  
ni hominem amplius diligendus est, & amplius  
quisq; debet Deum diligere, quam seipsum. Item,  
amplius alius homo diligendus est: quam corpus  
nostrum: quia propter Deum omnia ista diligen-  
da sunt, & potest nobiscū Deo homo perfrui, quod  
non pōt corpus nostrū: quia corpus per animā vi-  
uit, qua fruimur Deo. Audisti aliqua de ordine cha-  
rita-



ritatis; vbi expressum est nos amplius debere diligere Deum quam oēs homines, vel nos ipsos: & amplius animā alicuius hominis quā corpus nostrum. In enumeratione etiam quatuor diligēdorum superius posita: pri<sup>o</sup> ponitur quod supra nos est: secundo quod nos sumus: tertio quod iuxta nos est: quarto, quod infra nos est, vbi ordo diligēdi insinuari videtur ex ratione enumerationis. Non est a. apertum vtrū omnes homines pariter diligere debeamus, & tātum quantū nos vel min<sup>o</sup>.

*An omnes homines pariter diligendi sint.* B

Vnde etiam super hoc sæpe mouetur quæstio, quā perplexam faciunt Sanctorum verba varie prolata. Quidam n. tradere vidētur, quod pari affectu omnes diligendi sint: sed in effectu i. in exhibitione obsequii distinctio obseruanda sit. Vnde Aug. *Lib. de doc. Chri. 1. cap.* Omnes homines æque diligendi sunt: sed cum omnibus prodesse non possit, his potissimum consulēdum est, qui pro locorum & tēporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus cōstrictius tibi, quasi quadā sorte iūguntur. Pro sorte n. habēdum est, quo quisq; cibi temporaliter colligatus adhæret: ex quo eligis potius illis dandum esse. Itē super Epist. ad Gal. Operemur bonum ad omnes, *August. ad Gal. 6. c* maxime autē ad domesticos fidei, i. ad Christianos: omnib. n. pari dilectione vita æterna optāda est, et si nō omnib<sup>o</sup> eadē possunt exhiberi dilectionis officia: quæ fratribus maxime sunt exhibēda, quæ sunt sibi inuicē membra, q. habēt eundē patrē, sc. Deum. His aliisq; testimoniis innitūtur, qui dicunt omnes homines pariter diligēdos esse charitatis affectu, sed in operis exhibitione differentiā.

*Quæ his repugnare videntur.* C

Quibus obuiat illud præceptum legis de diligēdis parentibus. Honora patrem tuum & matrem vt sis longæuus super terrā. Vt quid n. specialiter illud præciperetur de parentibus, nisi maiori dile-